

huius Episcopus interfuit Concilio Agrippinensi.

PARISI, Lucotecia Ptolem. lib. 2. cap. 8. vulgò *Paris*. *Victorinus* huius ciuitatis Antistes interfuit Concilio Agrippinensi, & *Dionysius* primus Episcopus Parisiensis dicitur apud Greg. Turon. lib. 1. hist. cap. 30.

CIVITAS MELDVORVM dictæ Notitiæ ciuitatum Gallia, vulgò *Meaux*. *Medoneus* huius Episcopus subscripsit Concilio Aurelianensi quinto.

NIVERNVNVM Greg. Turon. lib. 8. cap. 1. vulgò *Neuers*. *Tauricianus* huius Episcopus Epaonensi Concilio subscripsit, & *Rusticus* Aurelianensi III.

LVGDVNENSIS QUINTA, SEV MAXIMA SEQVANORVM.

VISONTIVM Ptolem. lib. 2. cap. 9. vulgò *Bezançon*. Nondum Metropolis Ecclesiastica temporibus Gregorij magni Papæ, vt supra diximus, sed sub Lugdunensi Præsule, sicut & aliæ huius Prouinciæ sedes: ciuitas tamen Episcopalis, cuius Antistes *Pancharius* interfuit Concilio Agrippinensi, & *Claudius* Epaonensi subscripsit.

AVENTICVM Ptolem. ibidem, vulgò *Auenche*. *Marius* huius Episcopus subscripsit Concilio Matisconensi secundo. Sedes postea Lausannam translata est, & inde Friburgum, postquam Lausanna à Bernensibus hæreticis occupata est.

AVGVSTARA VRACORVM Ptol. ibid. vulgò *Augst*. *Iustinianus* huius Episcopus interfuit Concilio Agrippinensi: sed hæc sedes Episcopalis Basileam non longè distantem ciuitatem translata est.

VINDONISSA Tacito libro quarto historiarum, vulgò *Winich*. *Bubulcus* huius Præsul subscripsit Concilio Epaonensi. Postea sedes Episcopalis Constantiam ad Rhenum translata est, circa annum Christi, vt ferunt, 597.

BELICA, alijs Bellicium ciuitas, cuius sæpe fit mentio in Concilijs, vulgò *Belley* dicitur. *Vincentius* huius Episcopus subscripsit Concilio Parisiensi secundo. Hanc autem sedem Episcopalem prius fuisse apud Neuidunum seu ciuitatem Equestrum, non pauci aiunt, sed quomodo probent non video.

PROVINCIA BITVRICENSIS, SEV AQVITANICA PRIMA.

BITVRIGÆ, seu ciuitas Biturigum Notitiæ antiquæ Galliarum, vulgò *Bourges*. *Leo* huius Episcopus interfuit Concilio Andegauensi, & *Simplicij* eiusdem Episcopi meminit Apoll. Sidon. lib. 7. epist. 5.

ARVERNORVM ciuitas Eutropio lib. 4. hist. Romanæ, vulgò *Clairmont*. *Stremonius* huius primus Episcopus dicitur apud Gregorium Turonensem lib. 1. cap. 30.

RVTENA Apollinari Sidonio lib. 7. epist. 6. vulgò *Rodéz*. *Quintianus* huius Episcopus subscripsit Concilio Agathensi, & *Dalmatius* Aruernensi.

ARISITA.